



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 95. Germanica Novi Testamenti translatio per Lutherum facta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

**Secul. XVI.** proin tanquam Dæmonis Nuntii ac Vi-  
**A.C. 1522.** carii habeantur.

## §. XCIV.

*Lutheri scriptum adversus Bullam  
quæ incipit: In Cœna Do-  
mini.*

**Cochl. p. 49.** Præterea, ut suam in Pontificem vin-  
dictam exereret, eoquod ab eo pro-  
mulgata Bulla, quæ incipit: *In cœna  
Domini nominatim excommunicatus  
fuiisset, aliam opposuit Bullam, suo Au-  
tore dignam, quam inscripsit: Doctoris  
Lutheri Bulla & reformatio.* In ea in-  
quit: *Quicunque opem ferunt, corpus, bona,  
& famam in hoc impendunt, ut Episcopatus  
devastetur, & Episcoporum Regimen ex-  
tinquatur, hi sunt dilecti Filii Dei, &  
veri Christiani. Contra vero quicunque  
manutenent Episcoporum Regimen eisque  
obediunt, hi sunt Diaboli ministri proprii.*

## §. XCV.

*Germanica Novi Testamenti transla-  
tio per Lutherum facta.*

**Cochl. in ait.** **H**oc eodem anno Lutherus sacri Co-  
**& script.** dicis ac præcipue novi Testamenti,  
**Luth. ann.** quod Germanice reddebat, partem di-  
**1522. p. 50.** vulgare cæperat. *Quis, inquit Coch-  
laeus,*

lœus, satis enarrare queat, quantus diffidio-Sæcul. XVI:  
 rum, tumultuumque, & ruinarum fomes, & A.C.1522.  
 occasio fuerit ea novi Testamenti translatio,  
 in qua Vir jurgiorum, data opera, contra Prætol. in  
 veterem & probatam Ecclesiæ lectionem Spond. ad  
 multa immutavit, multa decerpit, multa ad-hunc an.n. ILL  
 didit, & in alium sensum detorsit, multas  
 adjecit in marginibus passim glossas erroneas,  
 atque cavilloas, & in præfationibus ni-  
 hil malignitatis omisit, ut in partes suas  
 traheret Lectores, quorum quamplurimos  
 misere seduxit: Præsertim Lutherus  
 errores suos in præfationibus atque no-  
 tis manifestius, quam in ipso textu o-  
 stendit. Insurrexerunt quantocius con-  
 tra hanc versionem Catholicorum quam-  
 plurimi, qui ex ea plusquam mille de-  
 pravationes collegerunt. Hos inter  
 Hieronymus Emserus Lipsiensis Do-  
 CTOR, qui Georgii Saxoniæ Duci a Con-  
 siliis erat, non solum hos Lutheri erro-  
 res scripto notavit, sed velut pro salubri  
 contra Lutheri venenum antidoto fi-  
 delem & exactam translationem, quæ  
 probato ac recepto in Ecclesia textui  
 latino in omnibus conformis erat, evul-  
 gavit: quæ eadē postmodum translatio  
 per universam Germaniam diffundeban-  
 tur, eo fine, ut Catholici sacras literas  
 ad manus haberent, in quibus nil nisi  
 ad inspirandam pietatem, & Dei cultum  
 utilia invenirent, suaque animas Dei

L 5                    verbo

**Sæcul. XVI.** verbo ipsis in lingua vernacula propo-  
A.C. 1522. fito pascere possent: nec magis pruden-  
ti ratione confundi valent turgida Hæ-  
reticorum promissa, quibus falso persua-  
dent, a se tantum ea, quæ evidenter  
in Dei verbo continerentur, ad creden-  
dum proponi. His ergo opponantur Sa-  
cræ Paginæ fideliter versæ, atque hoc  
medio facile illis falsa eorum jaçtantia  
demonstrabitur. Enimvero nihil magis  
hæreticorum conversionem adjuvat,  
quam si eis probata sacri Codicis trans-  
latio ob oculos ponatur.

## §. XCVI.

*Polonica Bibliorum translatio Soci-  
nianæ opposita.*

**Possevin. in  
appar.**

**L**uculentum hujus rei argumentum  
defumitur ex iis, quæ Possevinus re-  
fert de Bibliis, quæ Sociniani Poloni-  
ce reddiderunt, cui Jacobus Viecius, ce-  
lebris ac doctus Jesuita totum sacrum  
Codicem in idem idioma a se transla-  
tum opposuit, „ cum enim, ut inquit  
„ Possevinus, Unitarii eo fine versiones  
„ hasce Polonicas ederent, ut suos erro-  
„ res per universam Poloniam dissemi-  
„ narent, hinc Jacobus Viecius Jesuita  
„ ex eadem natione ortus a Gregorio  
„ XIII. Papa mandatum accepit, ut sa-  
„ cras Paginas ex integro in idioma  
„ Polo-